



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. De matrimonio contracto inter raptorem & raptam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ponendi sunt à gradu suo Clericali, si verò Laici sint, sunt excommunicandi, & bona talium, si rapta religiosam vitam vixerit, Ecclesie vel monasterio sunt applicanda, in quo rapta vigeat, &c. Nescio tamen utrum pœnarum harum tam Civilium, quam Canoniarum usus hodie adhuc vigeat.

§. II.

Quenam conditiones requirantur, ut raptori incurrant pœnas jure communi Civili, vel Canonico in eos statuta?

Quatuor ex communi requiruntur. Primò, ut raptus fiat cum violentia illata, vel ipsi raptæ, vel ejus parentibus, aut tutoribus, in quorum est potestate: si tamen parentibus tantùm invitis violenta abductio facta est, mitior pœna imponenda est raptoribus, vel nulla etiam incurritur (saltem de jure Canonico) si tractatus de matrimonio contrahendo sive sponsalia cum rapta præcesserint *c. Cum causa. 6. h. t.* quamvis invitis parentibus, ipsa tamen volens ad matrimonium cum ea contrahendum fuerit abducta. Secundò requiritur, ut fiat raptus talis, exercendæ libidinis causâ, quia raptus personæ propriè loquendo est species luxuriæ. Tertiò requiritur, ut mulier traducatur de loco in locum, abducendo scilicet eam à loco, ubi habitabat, ad alium locum. Quartò denique requiritur, ut mulier rapta sit honestæ vitæ, raptor enim meretricis pœnas allatas non incurrit, sed extraordinariâ pœnâ, arbitrio Iudicis, puniendus est; in foro tamen conscientie non est distinctio fa-

cienda inter honestam mulierem & meretricem, cum in utroque casu sit violenta abductio.

§. III.

De matrimonio contracto inter raptorem & raptam.

De jure Civili matrimonium absolutè nullum est inter raptorem & raptam, ut dictum, & constat ex *L. unica Cod. de raptu Virgi. Et ex Authent. de raptis mulieribus Collat. 9. Novella 143.* De jure autem Canonico prohibitum quidem olim fuit matrimonium inter raptorem & raptam, aut quamcunque aliam, ut constat ex *Concil. Tolet. can. statutum 34. caus. 27. q. 2.* (si tamen alienam sponsam de præsentibus rapuit) validum tamen fuerat, si postea in raptorem liberè consensit rapta, quamvis in raptoris potestate adhuc existeret, *can. Trias. 8. caus. 36. q. 2. Et c. Accedens 7. h. t.* cum per consensum consequentem tolleretur vitium præcedens: attendenda tamen hodie sunt, quæ Tridentinum Concilium statuit. De quo

§. IV.

Quid jure novo Concilii Tridentini statutum sit circa matrimonium inter raptorem & raptam initum, & quæ pœna ob illum raptum sine decreto?

Statuit Tridentinum *sess. 24. c. 6. de refor. mari.* nullum posse consistere matrimonium inter raptorem & raptam (etiam si ille non physicè rapuit, sed tantùm rapi aliquam mandaverit, ut cum hac matrimonium iniret) nisi hæc in locuto & libero constituta; extra omnem

Ecc ec 3 raptore